



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Codex traditionvm Corbeiensivm

Falcke, Johann Friedrich

Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752

§. 153. De bonis traditis in Riudiun in pago Ambergo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36114

Ab anno
826 vsque
853 im-
perante
Hludo-
uico et

§. 153.

Tradidit folker quidquid habuit in *riudium* (q) testef folcbold bernulf bant heio ailbern et alii XVII.

§. 154.

Tradidit fini in *sulbeke* (r) mansum unum testef odulf erluni erlulf adalold et alii tres.

§. 155.

Tradidit *jda mente deuotissima* (f) ad reliquias sc̄orum martyrum stephani et uiti ref proprietatis suae quas sibi dominus imperator hludouuicus

data idus mai anno Xpo propitio XXI imperii domni hludouuici piissimi augusti indictione XII actum aquisgrani palatio regio in d̄i nomine feliciter amen.

Sigillum exhibuimus
Tab. II. n. 6.

Cum itaque supra §. 33. villa *Budinifeld* in pago Logne collocetur, hoc autem loco in Angeri, nulla ex eo repugnantia se prodit. Nam indicatur prouincia maior per Angariam. Supra autem pagus specialis, qui pagus Logni erat, memorabatur.

De villa
Riudium.

(q) De villa *Riudium* in pago *Ambergo* vide supra §. 127. not. (u). De *Folkero* porro, qui tradidit in hac villa, quidquid habuit, vide §. 104. not. (††).

De villa
Sulbeke.

(r) *Sulbeke* villa distinguenda est a *Sulbichi* villa, quae in allato diplomate Hludouuici ponitur in pago *Logni*. *Sulbeke* enim quaedam erat, testante nostro Registro, in pago *Auga*. Est autem villa *Sulbeke* dudum derelicta, quondam sita inter oppidum *Holzminden*, et vicum *Luchteringen* in territorio Corbeienfi. conf. infra §. 257.

De Ida
ducissa.

(f) Cum *Ida mentis deuotissima* femina appelletur; probabilissimum est, hoc esse exinde profectum, quod gratificari uoluit abbati suo Warino huius loci scriptor, non quidem ut adularetur illum, sed tantum ut indicaret, qua gauderet matre reuerendus praesul. Docent enim Acta Idae ducissae Tom. I. Leibn. p. 171. sqq. ab Uffingo, monacho Werthinensi, conscripta, illam reuera valde deuotam, quin immo inter sanctas numeratam, *Idam* fuisse vxorem ducis *Ecberti*, ac matrem *Bouonis*, *Cobbonis* ac *Luidolfi*, comitum, itemque *Warini* abbatis Corbeienfis, atque *Hadwy* abbatissae, ut iam supra §. 104. not. (n) diximus. Nihil ergo restat, nisi ut demonstremus quoque, eandem *Idam* oriundam fuisse e stirpe potentum Franciae regum, ac filiam fuisse *Bernhardi*, fratris regis *Pipini*. Hoc autem eam ob causam ostendamus necesse est, quia scimus, doctos viros plerumque hic abire passim in contrariam sententiam. Leibniti putauit T. I. S. R. B. in *Introduct.* num. 9. patrem *Idae* ducissae fuisse vel *Nebelungum*, Matriacensem comitem, e *Childebrando* natum, quem Caroli Martelli fratrem *Fredegarius* fuisse suspicatur, vel *Theodoricum*, magnae apud Carolum Magnum auctoritatis, et *Ripuarii* praefectum, qui, ut infra ostendimus, *Westfalis* proximi erant. Quia autem haec tantum doctae Leibniti erant coniecturae, in coniecturis autem nunquam non quodam metu agitamur, verentes, ne res aliter se habeat; igitur *Nic. Hier. Gundlingius* in Libro de *Henrico Aucepe* p. 6. seq. arbitratus fuit, *Idam* Caroli Magni fuisse neptem ex filia *Berta* natam, quae *Berta Angilberti* coniugio fuerit copulata, eique *Harnidum* et *Nithardum* pepererit, ipso *Nithardo* teste. Sed saepius mirati sumus, viros doctissimos atque acutissimos non uidisse, *Idam* Caroli M. neptem, ex filia *Berta* natam, esse non potuisse, eo quod *Chronologia* repugnat.